

pietatem non paulatim refrigescens refocillabit, fungemurque nos, te duce, munere mandato alacriter. Fuit Saxoniae nostrae ea hactenus perpetua laus, quod, quemadmodum primae Ecclesiae Reformatores olim defendit, ita Evangelicae veritatis inde semper tenacissima fuerit. Tuum est, vir Magnifice, hanc ei laudem conservare. Et certe conservabis, si eam Tibi mentem, qua nunc es, ac valetudinem firmet Deus, quod precibus calidissimis impetrare sedulo annitemur. Unum superest, Te nos, qui et Juventutis Academicae animos sacris studiis initiamur et Christiani gregis parti non postremae praesumus, tueri. Id ergo ut facias, rerumque nostrarum sis praesidium et columen, submitte rogamus.

Dab. Lipsiae die 18. Julii 1686.

Viro Summe Reverendo, Magnifico
atque Excellentissimo,

Decanus, Senior ac ceteri
doctores et assessores
Facult. Theol.

Dn. Philippo Jacobo Spenero,
Doctori, Theologo celeberrimo,
Serenissimo ac potentissimo Electori Saxoniae
a concionibus aulicis primariis, confessionibus
sacris et consiliis Ecclesiasticis, Domino ac
Patrono nostro colendissimo.

II.

Die Antwort Speners.

Jesum et cum eo salutaria omnia!

Viri Maxime Reverendi, Magnifici et Excellentissimi
domini, Fautores et in DOMINO Fratres venerandi.

Non sine insigni animi laetitia epistolam Max. Rev.
Excell. vrr. superioribus diebus accepi, affectu in me pro-
penso plenissimam, cui merito gratias, quas possum maxi-
mas, repono. Applauditis vocationi coelesti, quae me has in
oras deduxit, et in ea iuxta mecum mirabilem divinam ag-
noscitis directionem, quod solum fere est, quod mihi ali-
quam fiduciam facit, non me sine omni fructu relictum ab
eo iri, qui me ire iussit, quo iam me contuli. Si universum
animum renudare liceat (quod puto mihi apud eos licere, qui